UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Thesavrvs Casvvm Conscientiæ

Continens Praxim exactissimam De Censvris Ecclesiasticis, Aliisqve Poenis, & Canonicis impedimentis, in Septem Libros distributus ...

Decisiones Casvvm Conscientiæ Ex Doctrina Consiliorvm Martini Ab Azpilcveta Doctoris Nauarri collectæ, & iuxta librorum iuris Canonici dispositionem in suos Titulos distributæ

Sayer, Gregory

Venetiis, 1627

5 Actus, ad cuius valorem dispensatio requiritur, donec illa impetretur, est nullus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-13903

Visual Library

Poſt conſtitutionem tamen Pij V. Extrau. Cum onus, requiritur, vt ſolutio totius pretij cenſus conſtituendi ſoluatur in pecunia numerata ipſo tẽpore quo conſtituitur: Cenſus tamen olim contracti iniuſti non erãt, cum ad iuſtitiam cenſus ſatis ſit, quod conſtitutio Cenſus verificetur ex natura contractus emptionis; de cuius ſubſtantia & eſſentia ſolum eſt, quod pretium in pecunia numerata conſtituatur, §. item pretium. Inſtit. de empt. non tamen quod in ea ſoluatur, & in tempore, & articulo conſtitutionis, d. §. item pretium. quod eſt de forma accidentali, & voluntaria: vnde non obſtante noua hac Pij V. conſtitutione, emptio cenſus conſtituto pretio in pecunia numerata, & ſoluto etiam in alijs rebus æſtimatis illa quantitate, eſt iuſta; immo fortaſſis iuſtior eo reſpectu, quo venditor maiore tempore fruitur pretio ſine vllo cenſu, & intereſſe, quam eiuſdem quantitatis ſolutio tempore conſtitutionis, qua neſcitur, an, & quomodo fruiturus ſit.

DECISIO II.

Ex conſ. 2. alias 9. de cenſib.

2 CVm hoſpitalitas res adeo laudabilis ſit, vt eam non exhibentes a Deo arguantur, Matth. 25. & hoſpitibus, & alienigenis, quam indigenis carius aliquid vendere vetitum ſit, c. 1. de empt. & ven. conſuetudo vendendi ius hoſpitandi cum priuilegio vendendi carius vno denario foglettam vini, hoſpitibus, & peregrinis, quam indigenis iniqua, & illicita eſt, & tam vendentes, quam conſentientes cooperando, & participãdo de lucro mortaliter peccant. c. 1. de offi. deleg. ex Na. in Man. c. 17. nu. 195.

DECISIO III.

Ex conſ. 3. in vtriſque.

3 HAbens poteſtatem imponẽdi iuſtum pretium & taxam carnib. & alijs rebus, legesq. iuſtas ſuper pretio, & modo vẽdendi ea ferens, & inferiores ad legis obſeruantiã ſub peccato mortali obligare intendẽs, ita ſubditos ligat, ex Nau. in Man c. 24. nu. 48. vt res carius iuſto pretio, & vltra taxam vendens, non ſolũ peccat mortaliter, reus efficiatur, ſed etiam ad reſtituendum damnum eis, quos lædit, obligetur: adeo vt licet paruitas rei acceptæ, vel damni dati excuſet a culpa mortali, quãdo accipitur, vel fit ſine intentione accipiendi quantitatem notabilem: non tamen excuſat, quando fit cum intentione lædendi multum multis vicibus. ex Nau. in Man. c. 17. num. 239.

DECISIO IV.

Ex conſ. 4. alias 8.

4 PApa, ſicut ex cauſa iuſta relicta teſtatorum laicorum ad pios vſus, in alios vſus pios, mutare poteſt: Cl. quia contingit de relig. domib. Ita Imperator, Rex, & alij qui Regalia habẽt, & in temporalibus ſuperiorem non agnoſcũt iuſta de cauſa relicta teſtatorum laicorum ad vſus profanos, in alios vſus profanos, & a fortiori in alios vſus pios mutare poſſunt. l. 1. & l. legatam, ff. de adminiſt. rer. ad ciuit pert. & c. quæ in eccleſiarum, de conſt.

DECISIO V.

Ex conſ. 5. alias 9.

5 CVm actus, ad cuius valorem neceſſaria eſt diſpenſatio, antequam illa impetratur, non valet: Matrimonium cõtractum inter cognatos aliquo gradu prohibito intra ſe attinentes, ante diſpenſationem eſt nullum, etiãſi alter coniugum promittat alteri impetraturum eam: c. 1. de conſang. & affinit. Et reſignans beneficium, reſeruata ſibi aliqua parte fructuum, vel penſione, ſaluo beneplacito Papæ, ſi antequam obtineatur beneplacitum eius, capiat illam partem fructuum, vel penſionem, Simoniacus realis cenſetur. ex Nauar. in Man. cap 23. num. 107. Et alienatio rei alienari prohibitæ, non impetrata prius alienandi diſpenſatione & licentia, adeo inualida eſt, vt non ſatis ſit ratificatio ex interuallo facta, niſi cum modis a concedente licentiam expreſſis. cap. 1. de rebus eccleſ. non alien. in 6.

DECISIO VI.

6 VEndens ſcienter male, emptori ſcienti rem vel alienam eſſe, vel venditorem illam iuſtè vendere non poſſe, mortaliter peccat, non tamen de euictione, aut intereſſe tenetur; l. ſi fundum. & l. emptor. C. de euict. & l. ſi fundo, ff eod. ſecus autem ſi rem talem ſcienter emptori bonæ fidei, & ignoranti vẽdat; tunc enim vltra peccatũ, etiam de euictione, & ad intereſſe obligatur, poteritque emptor talis bonæ fidei iuſtè & licitè ex empto aduerſus venditorem agere l. & liberi hominis. ff de contrah. emp.

DECISIO VII.

Ex conſ. 6. in vtriſque.

7 VEndens aliquid pretio per arbitros æſtimando, cum conuẽtione addita vt emptor vltra iuſtum pretium conſtitutum, aliquid maius notabiliter ſingulis annis etiã anticipata ſolutione in principio anni venditori ſoluat, peccat; cum omnis emptio, & venditio, in qua pretium maius iuſto datur, vel accipitur, iniuſta ſit, præſertim ſi anticipate ſoluatur c. 1. & 2 de emp & l. 1. ff. de emptio. S. Th 2. 2 q 77. art. 1. & Nau. in Man. c 22. nu. 77.

DECISIO VIII.

Ex conſ. 7. alias 15.

8 VAria mercimonia longo tempore exercẽs, quæ vix, & difficulter ſine peccato exerceri ſolent; & ſubinde dubitans, an aliquid illicitè acquiſierit, & quibus nocuerit, ſecum reputare debet, quantum, & in qua quantitate veriſimiliter proximis nocuerit, & ſi meminerit quãtum aliquibus certis perſonis nocuerit; eiſdem reſtituere in conſcientia tenetur; Arg cap cum tu de iureiur. ſin vero ad memoriam reuocare non poteſt, quibus in particulari, & quantum nocuerit, debet bona fide reputare quantum plus, vel minus eo modo nocuiſſe potuit, & illud pauperibus reſtituere, vel in alia opera pia impendere. c. cum tu de vſur.

DECISIO IX.

9 MVtuans frumentum cum pacto tacito, vel expreſſo, quod mutuatarius reddat melius frumentum quam accepit, peccat, & illud plus, quod accepit, reſtituere tenetur, Arg. c. 1 & 2. 14 q. 3. Si vero non fiat conuentio, ſed conſuetudo obligat ad reddẽdum melius, ſed cõtingit, quod cum teneatur reddere idem in ſpecie, reddat melius frumentum, eo quod eſt ſanius, vel nouius, & ad conſeruandum aptius, nec peccat accipiendo, nec reſtituere tenetur, etiamſi minus principaliter motus fuerit ad mutuandum aliqua, quod reciperetur melius; ea tamen mente quod contentus foret reſtitutione frumẽti æque boni, nec peteret amplius, nec conquereretur: cum ſpes illa minus principalis nõ faciat mutuum vſurarium. Glo. recep. in c. conſuluit. de vſur.

DECISIO X.

10 SOcietatem contrahentes ſuper mercimonijs cum pacto inter ſocios de ſtando lucro, & damno, ita vt capitale non maneret ſaluum conferenti pecuniam, ſed ſi periretur, illi, & non alijs ſocijs periret, licita eſt: ſi vero ita contracta ſit, vt capitale, ſeu ſors principalis ſalua reddatur conferenti, iniuſta, & illicita erit ex Nauar. in Man. cap. 17. num. 251.

DECISIO XI.

11 CEnſus ante conſtitutionem Pij V. impoſiti, nõ ex eo illiciti erant, quod pars pretij in pecunia numerata ſoluta fuiſſet, & pars in alijs rebus, & bonis ſtabilibus ab ipſis patribus æſtimatis, dummodo alia neceſſaria ſeruata eſſent: Immò etiam ante illam pretium Cenſus non ſolũ in alijs rebus quam in pecunia numerata ſolui poterat, ſed etiam remittendo debitum a venditore ſoluendum emptori: ſicut etiam ante præfatam Pij V. cõſtitutionem iure pœna reſtituendæ ſortis in caſu contractæ moræ ſoluendi cenſum apponi, & peti poterat, & etiam peti poteſt reſtitutio prædictæ ſortis poſt contractam moram; immò & impenſæ, & damna ob illam litem conſequuta deben-